



# PETRI BEMBI RERUM VENETARUM HISTORIAE

## LIBER I.



Rbis Venetæ res annorum quatuor & *Prooemium* quadraginta scribere aggredior, non iudicio, aut quod ita mihi libuerit, sed quodam quasi fato, vel certe casu. Nam cum Andrea Naugerio, cui hæc publice cura tradita fuerat, in legatione Gallica vita functo, Decemviri a me collegii decreto petiissent, ut, quando is moriens sua scripta comburi jussit, ipse ea in re atque munere patriæ meam opem requirenti ne deesse: pudore verecundiaque recusandi ad variam atque multiplicem, quodque vere possum dicere, multo maxime operosam scriptionem me contuli annos natus sexaginta: ut, nisi Reipublicæ extaret postulatio, merito me homines reprehendant id ætatis ausum tantum onus sustinere. bella enim plurima propeque continentia atque maxima cum ab Italiæ, Germaniæ, Galliæ, Hispaniæ populis & regibus, tum a Turcarum imperatoribus exci-